

X.

*Caroli a Linné ad Bernardum de Jussieu ineditæ, et mutæ Bernardi ad Linnæum
Epistolæ ;*

CURANTE ADRIANO DE JUSSIEU,

ACADEMIÆ ART. ET SCIENT. AMERICANÆ SOCIO.

LINNÆANAS quas hic publici juris facimus epistolas ad nos hæreditas transtulit. Plures quidem extiterant; sed quædam amissæ aut dispersæ. Mutæ Bernardi de Jussieu litteræ, cum cæteris musæi Linnæani gazis, in manus cl. Edwardi Smith transierant, et ab hujus interitu in Societatis Linnæanæ Londinensis musæo servantur. Ipsas quidem cl. Smith, inter selecta commercii litterarii celeberrimorum cum Linnæo botanicorum fragmenta,* jam evulgavit, sed et paulisper truncatas et e Latino in Anglicum versas, ita ut authenticas integrasque nunc Linnæanis, quas illustrant, intermiscere satius visum fuerit, quod permisit Societatis Londinensis, et præsertim librarii ejusdem cl. Joannis Bennett, litteras propriâ manu ideoque absque ullo erroris periculo transcriptas ad nos transmittentis, liberale obsequium.

Linnæi epistolæ currente ocissime calamo scriptæ, tot erant, inter multa alia momenti majoris opera, scribendæ! “*Certe,*” in epistolâ ad Abb. Duvernoy dicit, “*si mihi decem essent manus non sufficerent omnibus qui literas mittunt, et si hoc coram me videres, crederes me nihil aliud agere quam literas, in quo dilapido et res et tempus meum.*” Et iterum ad Jacquinum scribit: “*Si mihi tot essent manus, quot idolo isto Chinensi, non sufficerent semper respondere omnibus interea hoc certum quam certissimum quod ego quotannis scripserim ad exteros plures epistolas, quam omnium facultatum professores n. 25 simul, ad exteros indigenasque.*” Præterea in documentis quæ de se ipso et vitæ

* *A Selection of the Correspondence of Linnæus and other Naturalists from the Original Manuscripts,* by Sir J. E. Smith. In two vols. London. 1821. — Jussieu's letters are inserted in the second volume, pp. 206–227.